

† R. P. Vincentius Grilhisl (1872-1930).

(Vice-Prov. Germanico-Brasil.)

† R. P. Vincentius Grilhisl (1872-1930).

(Vice-Prov. Germanico-Brasil.)

Die 20 Martii h. a. Araraquarae Brasiliae ex misera hac vita ad vitam veram transmigravit R. P. Vincentius Ferr. Grilhisl. Nunquam Superior fuerat, et dum in multis Brasiliae regionibus Patris Vincentii nomen fuit estque notissimum, extra Vice-Provinciae fines celebritatem non obtinuit. Tamen modo suo *vir extraordinarius* erat, zelantissimus apostolus, et manipulorum copiam haud communem ad Patris caelestis horrea apportavit.

Vincentius noster ultimo die anni 1872 in *Rohrbach* natus est parentibus piis, qui e Bavaria in Austriam Superiorem migraverant. Tenera aetate parentibus orbus, iuventutem duram transegit. Cum studia litterarum, Linzii apud Patres Iesuitas incepit, ob infirmam valetudinem prosequi nequit, sartoris artem didicit, et sartor Congregationem ingressus est, recepto in vestitione sacra nomine Floriano.

Fr. Florianus, tum novitius, a. 1894 cum aliis confratribus in Brasilianam missionem venit, a Provincia Germaniae Sup. tum temporis suscep-tam, et in difficilibus exordiis largam habuit partem. Cum regionis linguam lusitanam cito beneque didicisset ac continuum sacerdotii desiderium nutriri, Superiores ei permiserunt, ut studiis latinis, atque examine rite superato etiam altioribus se dicaret. Vota religiosa demum d. 9 Iunii 1899 nuncupavit, et iam d. 29 Apr. 1900 ad sacerdotalem dignitatem elevatus est.

P. Vincentius primo tantum ad Missam celebrandam et ad varia servitia minora in Sanctuario Apparecidano praestanda destinabatur, mox etiam ad omnia religionis solacia aegrotantibus apportanda. Qualibet diei noctisve hora paratus erat equum ascendere et longo difficillimoque itinere suscepto morientes ultimis sacramentis munire.

Vix etiam sacrum suggestum ascendere sinebatur, cum in eo dotes vere oratoriae apparuerunt. Felicissima memoria ei magno fuit adiumento. Omnem sermonem magna cum cura parabat, et quidquid supererat temporis in acquirendam scientiam sacram insumebat. Theologiae moralis, missionario praeceteris necessariae, bene peritus erat. Quodsi de disciplinis ipsi plus minusve ignotis sermo erat, suam ignorantiam quadam callida astutia tegere sciebat. Imprimis, uti patet, populo illiterato evangelizabat, sed ultimis vitae annis etiam optimo cum successu civibus urbium, immo et clero.



R. P. Grilhisl paucis ante obitum diebus.

Illiūnum *D. Prudentium Gomes da Silva*, eximiae virtutis Praelatum, qui corde et animo Redemptorista erat et visitationes suas pastorales continuam quandam missionem efficiebat. Ambo quot dies in equorum tergis degerunt, per loca deserta equitando, quot noctes contionibus aut instructionibus habendis confessionibusque excipiendis!

P. Vincentius erat statura pusillus, praegrandi macie torridus, cibi, somni, vitae commoditatum parcissimus. Cupediis cibisque dulcibus nunquam utebatur, tanto magis pipere, aceto, narium tabaco. Multoties paucarum horarum somnum extra lectum humi cubando carpebat, attenuam parum gratum se praestabat comitibus, iam summo mane non sine strepitu surgens; et loci incolis quoque, ecclesiae campanas summa vi movens.

Miranda homunculi vox fortis. Quoniam dicendi modum habebat sui plane proprium et populi captui valde accommodatum, eius sermones difficulter oblivione obliterabuntur. Ad eius vitae exitum quandoque accidit, ut in templis vastis contionatoris verba non satis intelligerentur, et nihilosecius audientes oratoris intima persuasione, gestu sonoque vocis, veluti e sepulcro emergentis, ad fletum commoverentur.

Quis Patrem Grilhisl unquam vidit voluptatis causa domo exeuntem? Tamen recreationis tempore hilaris erat et in lepidis suis narrationibus minime ab hyperbole abhorrebat. At campanae signo dato iam non videbatur nisi coram SS. Sacramento orans vel in cella libros volvens. Vixit igitur ac si votum S. P. N. Alphonsi emisset nullum temporis momentum terendi. Tali vita laboriosa et apostolica P. Grilhisl pro insigni sacerdotii beneficio se gratum praestare studuit.

Cupierat quidem inter dilectos suos « cabochos » terrae Goyaz mori, sed mortem occubuit, annum agens duodesexagesimum, Araraquarae in Statu S. Pauli. Quodam die, cum aegrotanti solito suo zelo succurreret, in vehiculi automobilis casu eius spina dorsalis graviter laesa est. Etiam tum quiescere nolebat, sed laborabat, utcumque poterat. Tandem in nosocomio decumbere coactus, ut mors quam citissime veniret, impense exoptabat. Sicut in vita ipse sibi pro viribus servierat, vestimenta lavans et resarciens, quinimmo, si fieri poterat, cibos coquens, ita etiam moriens aliis oneri esse nolebat.

Sacramentis ultimis pie receptis, vota sua religiosa sollemniter renovavit, et Creatori animam meritis onustam reddidit die 20 Mart. 1930. Apostoli corpus postridie, vere novo incipiente, terrae commissum est, concurrente universa civitate.

Adm. R. P. Stephanus Heigenhauser, qui diu defuncti Superior in missionibus habendis fuit, in foliis *Santuário d'Apparecida* in necrologii fine haec apposite scripsit: « Miror, quod irrequietus P. Vincentius noster quiescit inter quattuor arcae tabulas, quod non exsilit, audiens templi campanas, comperiens sacerdotem ab aliquo moribundo efflagitari.... Id unum certum est: Novissimo die, cum *tuba mirum sparget sonum*, P. Vincentius, ut alias in vita, primus omnium surget nosque reliquos convocabit! »